



Dissertatio academica de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/343247>

22

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
USUFRUCTU,

Q V A M

FAVENTE DEO TER. OPT. TER MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS;

Reip. Ultrajectinae Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academijâ
Medicinae Anatomes & Botanices Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci Consensu & Nobilissimac
Facultatis JURIDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, Commodis,
& Immunitatibus ritè, & legitime consequendis,

Eruditorum Examini subjicio

JOANNES GREVEN, ZWOLLANUS.

Ad diem Julii, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ *FRANCISCHALMA*, Academice
Typographi Ordinarii, c̄lo Ioc Lxxxv.

DISSESSATIO ACADEMICA

DE

DISSESSATIO ACADEMICA DE USU FERIUGIUM

MAIOR

ET VANTATIONE DE TERRA ET LUCE MAXIMA

EX MUNICIPIIS CIVICIS ROMANIS

B. JOHANNIS MUNICRIS

PAULUS in L. I. ante ult. ff. ad
exhibend.

Non Oportet jus Civile
Calumniari.



INSTITUTIO INGENII

ANNALES INSTITUTI
TYPGRAPHIQUE LIBRARIAE
OCTAVIUS ALEXANDER



VIRO SANEQUAM REVERENDO
AC PERILLUSTRI
IOANNI GEORGIO
GRAE VIO
DOCTORI SUO
IOANNES GREVEN

S. P. D.

aesitavi aliquamdiu, Vir Clarissime, audet
remne tibi hanc Academicam dissertatio-
nem, rem plane nullius pretii, offerre,
utpote qui non libenter pro maximis & in-
finitis beneficiis tam vili munere defungor
orationis, & malo re gratias referre, quam
verbis me tibi probare memorem. Sed cum
coepisse egomet tecum cogitare, quan-
ta sit tua in omnes benignitas, ut non quid praebeat quis, nec
quid debeat, verum quid possit, soleas attendere; vicit tua be-



nevolentia modestiam meam, humanitas pudorem, nihilque imperare non potui, quin hoc qualemque munusculum tibi mittam pignus gratae meae in te voluntatis. semper enim animi ingenui existimavi, ut, cui satisfacere nequeas, ei te plurimum tamen debere confitearis. Accedit, quod nullum in te officium, ne minimum quidem, sine maxima culpa videor posse praeterire, in quo tuendo causas habeo varias, vel tui erga me multi amoris, vel meae a longo tempore observantiae. Quid quaeris? tanta est magnitudo tuorum in me meritorum, ut in te uno colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. Res est pervulgata sermonibus omnium, nihil tibi prius, nihil antiquius esse discipulorum tuorum commodis & progressibus: nemini latet, quam studeas crescenti ingeniorum laudi; quid non opis, studii, & consilii impertias iis, qui aliquid moluntur profuturum publico & artibus laudatissimis. Ego autem cum in hoc augustum omnis virtutis & doctrinae templum bonas artes imbibendi gratia missus tibi in primis operam darem, tanta me brevi pro summo tuo in formanda fingendaque juventute studio, benevolentia prae caeteris tuae disciplinae alumnis complexus es, ut nihil posset fieri effusius, nihil prolixius, nihil cumulatius: sic enim monuisti, ut filium: sic favisti, ut tibi: sic hortatus es, ut amicissimum. quod tamen, nescio qua permotus animi divinatione, dudum ante non desperaram. Hinc factum est, ut celeriter me in intimam tuam familiaritatem, quam etiam tum meus pudor mihi clauserat, insinuarem, amicitiaeque palmam aut praeciperem reliquis, aut redderem ambiguam. quae per jocunda conjunctio fuitne mihi majori gloriae & ornamento, an utilitati & voluptati, non facile dixerim. Nam cum totum me ad tuam, qui ita de me indies merebaris voluntatem nutumque converterem, & ex tuo ore penderem, eam mihi studiorum rationem & viam ostendisti, quam si egregiae indolis adolescentes, qui ad ingenuarum artium cultum se applicant, ingredentur, ac tererent indefessi, non possent non ad historiarum & humiorum litterarum notitiam, omnis scientiae fontem, & verae ac solidae eruditioonis fundamentum haut poenitendo cum profectu

fectu pervenire. A politiori litteratura, exercitationeque dicendi felicibus auspiciis disciplinae juris me, tuam auctoritatem sequutus, tradidi, & per biennium crevi sub CYPRIANO REGNERI AB OOSTERGA, & GERARDO NOTIO doctoribus inclytis omnium suae aetatis Jurisconsultorum, quorum admirabilis quaedam, & fere incredibilis in Legibus Principis terrarum populi interpretandis, aequitateque explicandis scientia nunquam silebitur. hos excellentis ingenii, & magnae dignationis viros honoris & officii causa nomino: maxima enim ac plurima illis quoque me debere, libentissime fateor. Nihil nunc de tua in omni genere prudentia, quasi de re obscura, disputabo, cum quia tecum ago in praesenti, ne videar, id auribus tuis dare; tum quia elegantiam ubertatemque ingenii tui, ac doctrinae copiam, quam luculentis & immortalibus monumentis omni posteritati, atque orbi testaram fecisti erudito, suspiciunt ac magni faciunt viri eximii & alta quadam mente praediti, qui pridem tuae virtutis, sapientiae, eruditioisque splendore capti tacita te sunt venerati admiratione, nomenque tuum uno velut ore in coelum ferunt. haec enim mira laus est, quae non poëtarum carminibus, non scriptorum litteris, non quorumlibet mortalium fama celebratur, sed prudentium expenditur judicio, quaeque ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. Jam si quis unquam fuerit & natura, & magis etiam ratione atque animi magnitudine ab inani laude remotus, tu profecto is es; id quod omnium testimonio perspicuum esse coepit: quippe qui in omni vita tua ea studiose sequeris, ex quibus vera gloria nasci potest, ipsam quidem gloriam per se nunquam expetere soles. Sed quorsum haec oratio longior quam putaram? Ut meae in te pietatis, & animi devotissimi, quas pro nostra facultate cum maxime possumus dare, significaciones & tibi, & omnibus exponerem cum summa testificatione tuorum erga me officiorum, & mutui mei in te amoris. Noli itaque indignari tibi hanc exercitationem consecrari, atque inscribi. quod si omissem, vererer, ne hominis ingratissimi subiрем invidiam. Tuum enim in me exquisitum studium, mi-

rificamque voluntatem nisi agnoscam , & tanti faciam , quanti
quod magnopere est faciendum , non solum non dignus essem ,
qui a te viro magno amer , sed quem omnes homines oderint.
Noli spectare donum , quod exiguum , sed animum , qui est
egregius. id tamen ipsum si tam serena fronte a te excipietur ,
qua ipse olim fui exceptus , meque pro tua singulari in me in-
dulgentia diutissime in aere tuo esse fines , tantus cumulus priori
felicitati accedet , ut ad votorum summam nihil addi possit. De
me autem sic tibi persuadeas velim , me constantia , cultu , fi-
de , obsequio nulli eorum cedere , qui te sanctissime & colunt ,
& observant , & diligunt. Vale , Vir Celeberrime , remque
litterariam tuo ac orbis terrarum commodo aeratem feliciter
gere.

DIS.



DISSERTATIO ACADEMICA
DE
USUFRUCTU.
ORIGO SERVITUTUM.

PRincipio rerum nullae fuerunt servitutes, nulla jura cuiquam constituta, sed omnia a Deo creata libera, omnia communia, & indivisa omnibus, veluti unum cunctis esset patrimonium, nique privatae quidquam rei haberet quisquam. Veruntamen universam hanc omnium rerum libertatem, & communionem diutinam non fuisse constans opinio est: lapsu enim temporis quam exigente usu, & aliis aliorum ope indigentibus, societas humanae constituerentur necesse fuit etiam rerum dominia distinguere, condere regna, agris ponere terminos. Discretis dominiis exni aequalitas, pro modestia ac pudore, audacia & vis: pro continentia & aequitate, lubido atque superbia incedere, avaritia fidem, probitatem caeterasque artes bonas subverttere, malitia crudelitasque hominum corrupta naturae bonitate ingravescere, suisque non contentus alter alterius fortune ac commodis invidere, aliena cupere, rapere, spoliare, praedari, sacra profanaque omnia polluere coepit. Inde, ubi contagio quasi pestilentia invaserit, bella orta sunt, & bellorum jura: hinc captivirates sequentes, quas exceperunt Servitutes, naturali hominum conditioni contrariae, impote qui ab initio liberi nascebantur. l. 4. ff. de Just. & jur. §. 2. Inst. de jur N. G. & C. Etenim cum durum videretur captivos occidere, quod jure belli licebat, Vid. Grot. lib. 3. de jur. B. & P. cap. 4. placuit Imperatoribus vendere eos, ac per hoc servare, unde servi a servando appellati sunt. §. 3. Inst. de jur pers. l. 4. ff. de stat. hom. l. 239. §. 1. ff. de V. S. Ad exemplum hujus servitutis nomina Servitus & Libertatis etiam brutis & rebus anima parentibus coeperunt

runt tribui; per translationem, tamen, & longe alia significatione. Persona enim dicitur servire, quae suo Domino servit: libera esse, quae sub potestate domini ca non est. Res vero dicuntur servire quae praeter dominum suum etiam alii officia quaedam praestare coguntur, neque solius domini usibus vacant: liberare esse, quae tantum domino serviunt, praebentque omnia. Hae servitutes in duas partes diducuntur: sunt enim aliae rerum sive praediorum, quae debentur praediis vel rusticis, vel urbanis, quaeque per excellentiam Servitutes nominantur, ut ostendit rubrica in ff. de servitutibus. aliae personarum, quae debentur personae, ut Ususfructus, usus, & habitatio. L. i. ff. de servit. L. 20. §. ult. ff. de serv. præd. rust l. 32. ff. h.t. Mihī autem pro more eorum, qui Doctorum albo inscribi gestiunt, periculum artis facturo, edituroque specimen progressus ac doctrinae meae quantulaecunque, affulsius præcaeteris materiis ea species servitutis, quae ususfructus nomine venit, utilitate, præstantia, atque dignitate operis delectatus. quare hoc ut venirem, paulo altius, strictius tamen principia & originem servitutum repetere visum fuit. Hoc ut apte commodeque exponam ac expediam, recte atque ordine facturnus opinor, si primum ostendero quid sit Ususfructus: dein quibus in rebus constitut: tum quibus modis constitutatur: posthaec intermixtis subinde nonnullis insignioribus controversiis; que onera fructuario subeunda: hinc quomodo convenienter usus & ususfructus, quomodo differant: additis postremo modis, quibus finiatur.

S E C T I O. I.

Placet ergo, quoniam omnis de usufructu futurus est sermo ante definire quid sit Ususfructus. omnis enim quae de aliqua re instituitur dissertatio debet a definiendi ratione profici sci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

I. Ususfructus est jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia. l. i. ff. b. r. pr. Inst. eod.

II. *Jus* id est, facultas jure civili tributa. Ususfructus autem dicitur *jus* quatenus competit fructuario. Nam quatenus considerantur res, in quibus ususfructus est constitutus, non *jus* est, sed *servitus*, & juris imminutio. Sic & servitutes praediorum jura dicuntur, & definiuntur, atque respectu earum rerum, quibus imponuntur *servitutes*, respetu earum, quibus inharent; *jura* sunt, ita tamen ut nomen sortiantur non a re serviente, sed dominante, id est, ab ea, cui debentur.

III. Vien-

III. Utendi fruendi) Dictus est ususfructus ab utendo & fruendo. Hinc solent ea verba conjungi, quanquam fruendi vocabulo Usus continetur. Ususfructus enim an fructus legetur nihil interest: nam fructui & usus inest, usui fructus deest; & fructus quidem sine usu esse non potest, usus sine fructu potest. l. 14. §. 1. & 2. ff. de us. & hab. l. 42. pr. ff. b. t. Itaque quod Ulpianus lib. 79. ad editum scripsit: *fructum sine usu obtingere posse.* l. 5. §. 2. ff. Usufr. Quem cav. non de eo usu intelligendum est, qui sub fructu comprehenditur, sed de eo, qui ab ususfructu separatus est, & per se servitus personalis.

IV. Uti autem est rem tractare, & adhibere ad eum usum, & finem, ad quem idonea est, eamque utilitatem inde capere, quae secundum rei conditionem & naturam percipi potest ad necessitatem scilicet, non etiam ad voluptatem. Usus enim quotidiana utensilis sufficientia, & consumptio ne terminatur. l. 12. §. 1. ff. de us. & hab. Frui est omnem utilitatem, omne commodum, omnesque fructus ex ipso corpore seu re fructuaria, vel ejus occasione percipere. l. 7. l. 9. l. 59. §. 1. ff. b. t. l. 25. l. 28. ff. de Usur. non tantum ad necessitatem, sed etiam ad delectationem. Flor. lib. 2. cap. 6. Hannibal cum vittoria uti posset, frui maluit.

V. Omnes itaque reditus, omnesque fructus sive naturales, sive industriaes, qui ex re fructuaria proveniunt vel sponte vel opera ususfructuarii; sive civiles, qui occasione rei quaeruntur (ut venditionis pretia, mercedes locationis, pensiones aedium, vecturas &c.) lucratur fructuarius quam primum eos perceperit vel ipse, vel ejus nomine aliis. §. 36. Inst. de rer. div. l. 13. ff. Quib. mod. us. amitt. l. 25. §. 1. ff. de Usur. quoad autem solo cohaerent, pars fundi sunt. l. 44 ff. de rei Vind. l. 61. §. 8. ff. de fur. ideoque licet maturis fructibus nondum tamen perceptis decesserit fructuarius, ad heredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis obveniunt. d. §. 36. Inst. de rer. div. l. 13. ff. Quib. mod. us amitt. l. 8. ff. de ann. leg.

VI. Quod si sponte deciderint fructus, vel alius eos suo nomine separaverit, non ante fructuarii fiunt, quam possessionem eorum fuerit naturus. Unde si fur decerpserit vel desecuerit fructus maturos pendentes, proprietario, utpote domino fundi, conditio competit, fructuario furti actio, quoniam interest ejus, fructus non esse ablatos. l. 12. §. ult. ff. b. t. Ita quidem res vertitur in acquirendis fructibus naturibus.

VII. In civilibus vero, puta in aedium pensionibus, & operis servorum locatis, quarum fructus in solo earum usu consistit, aliud est dicendum. Nam si intra tempora locationis extinctus fuerit Ususfructus, pro rata

10 D I S S E R T A T I O

rata temporis, quo ususfructus stetit, pensiones fructuario heredive ejus debentur, quod superest domino proprietatis acquiritur, quoniam per inquilinum tantundem consequitur fructuarium, ac si ipse re fuisse usus, atque ita locatis operis servi respondit *Paulus* in l. 26. ff. d. tit.

VIII. Si vero alia res, veluti fundus, fuerit locatus, ex quo singulis annis semel fructus nascuntur percipiunturque, aliud iterum est receptum. Nam fundo locato simul ac colonus fructus perceperit, merces totius anni ad fructuarium heredemve ejus pertinet, licet ususfructus interierit longo ante tempore, quam ea merces ex locatione solvi debebat. l. 58. pr. ff. b. t. Et convenienter si fructuarium fato fuerit defunctus nullis fructibus per colonum perceptis, ad heredem ejus nihil ex ea pensione transmittit. Quid si decesserit parte fructuum percepta, parte non sublata? solutio mercedis debetur heredibus fructuarii pro rata perceptorum; proprietario pro rata eorum, qui nondum erant collecti, quia nec minus fructuarium nec plus per conductorem consequi aequum est, quam si per se fuisse re fructaria usus.

IX. Cum autem Usufructarius non tantum fruitur, sed etiam utitur, sciendum est eum uti frui oportere re fructuaria secundum suam conditionem, illamque exercere in eum modum & finem, ad quem natura patrisve familiarum instituto parata est. Sic aedibus utetur tanquam aedibus ad habitandum, fundis ad fructus capiendos, servis ad praestandas operas, & quidem eas, quarum periti sunt, caeterisque rebus juxta usum suum & naturam: extra quam enim qui utitur, abuti dicitur. l. 13. §. ult. l. 15. §. 1. & seqq. ff. b. t.

X. (*Alienis rebus*) Hoc omnibus commune est servitibus, & proprium, ut constituantur in rebus alienis: nulli enim res sua servit l. 26. ff. de serv. praed. Urb. Utitur quidem & fruitur quoque dominus re sua, sed jure dominii, non servitatis. l. 78. pr. ff. de jur. dot. l. 21. §. 3. ff. de Except. re. jud. Extraneus vero utitur fruitur re aliena jure servitatis, non dominii, atque ideo is tantum & proprie usumfructum habere dicitur. l. 5. pr. ff. si Ususfr. pet.

XI. Hinc appetat ineptam esse, & juri incognitam, immo contrariam nonnullorum distinctionem Ususfructus in *Causalem*, & *Formalem*. hunc vocant, qui proprietati cohaeret, sive quem dominus habet jure dominii: illum, qui est a proprietate sejunctus. Nam qui rei habet proprietatem, utendi fruendi jus separatum non habet. d. l. 5. pr. ff. si Ususfr. pet. neque adeo usumfructum, quippe qui servitus est. l. 1. ff. de serv. & a proprietate separationem recipit. §. 1. Inst. b. t. Jam si Ususfructus esset cau-

causalis; quomodo ususfructus dici posset extingui, si cum proprietate confundatur, aut consolidetur? §. 3. *Inst. eod. l. 4. ff. Ususfr. quem cav.* Nec movet quod *Paulus lib. 2. ad edictum* scripsit: *Usumfructum in multis casibus partem dominii esse. l. 4. ff. b. t.* Nam non est pars dominii, ut idem *Paulus lib. 21. ad edictum* memoriae prodidit. *l. 25. pr. ff. de V. S.* Sed in multis casibus dominii pars habetur, cum quod omne fundi emolumen-
tum continet. *l. 66. §. 6. ff. de Leg. 2.* tum quod nulla alia est servitus,
quae tantam cum dominio habet affinitatem. Nam & locari, vendi,
donari, gratisque concedi potest Ususfructus, uti postea docebimus.
Accedit, quod omnibus bonis venditis, nisi nominatim ususfructus fuerit exceptus, etiam ususfructus venisse intelligitur, quia appellatione domini usufructarius quoque continetur, hoc est, in plerisque causis
habetur pro domino, ut in illo edicto *l. 8. ff. de reb. auct. iud. possid.* quod
usufructario competit *Interdictum unde vi. l. 3. §. 13. ff. de vi, & vi arm.*
quod ei de damno infecto cavetur. *L. 13. §. 1. ff. de dam. inf.* quod usus-
fructus pro parte divisa, pro parte indivisa constitui potest *l. 5. ff. b. t.*
Denique licet usufructarius respectu juris, quod habet, Dominus saepe vocetur, semper tamen in re aliena jus suum exercet.

XII. Unde nec maritus *pr. Inst. quib. alien. lic. l. 13. §. 2. ff. defund. dot.*
l. 7. §. 3. ff. de jur. dot. l. 23. Cod. eod. nec heres fiduciarius. *l. 15. ff. de aur. arg.*
leg. nec Emphyteuta. *l. 12. in fin. Cod. defund. patrim.* hac definitione comprehenduntur, utpote qui rebus utuntur, non jure Ususfructus, sed tanquam propriis, & jure dominii quod habent, ut clarum est ex allegatis ll.

XIII. *Salva rerum substantia*) secernitur hac clausula verus Ususfructus a facto, & iis rebus, quarum usus consistit in consumptione & abuso: Indicatur usufructuarium uti frui oportere ad arbitrium boni viri & tanquam diligentem patremfamilias. *l. 65. ff. b. t.*, qui rei substantiam deteriorem non reddit, sed eam salvam studet conservare: prohibetur rem consumere, perdere, aut in aliam formam transmutare.

XIV. Itaque qui ovium usumfructum habet, non debet eas mactare, ut carne vescatur, utpote quod adversatur naturae ususfructus. Aedium usufructu relicto diaetas vel atria transformare, conjungere, aut separare, qualitateme aedium immutare fructuario non permittitur. *l. 13. §. 7. ff. b. t.* licet eas meliores faciat. *l. 7. in fin. l. 8. l. 44. ff. cod.* cum natura definitum non sit, quid melius, quidve pejus habeatur: nam quod huic melius, illi pejus videtur. Potest tamen usufructarius causam proprietatis meliorem reddere. *l. 13. §. 4. ff. b. t.* dum hoc faciat excolendo id, quod invenit, rei qualitate non mutata. *d. l. 13. §. 7.*

32 D I S S E R T A T I O

XV. Fundi Usufructu legato non conceditur usufructuario arbores grandes & frugiferas excidere (quippe quae non habentur, ut succidantur, extirpenturque, sed aliae ad ornatum umbramque praestandam, aliae ad fructus ferendos paratae sunt) nec villam diruere, nec quicquam committere in perniciem proprietatis. *l. 11. l. 13. §. 4. ff. b. r.* quare si agrum non proscindat, vites non subferat, aquarum ductus patiatur corrumpi, non intelligitur salvam rerum substantiam servare. *d. l. 13. §. 2.* Haec tenus de definitione.

S E C T I O II.

Sequitur, ut dispiciamus quibus in rebus consistat ususfructus.

I. Non tam angustis terminis includitur ususfructus, quam rerum servitutes, quas nemo potest debere, nisi qui praedium habet. *§. 3. Inst. de serv. rust. & urb. praed. l. 1. §. 1. ff. comm. praed.* Etenim constituitur tam in rebus incorporalibus, ut sunt nomina. *l. 3. ff. de usuf. ear. rer.* quam corporalibus, tam mobilibus, quam soli, tam animatis, quam anima destitutis, dummodo tales sint, quae usu non consumuntur, sed salvae permanent, velut in mancipiis, jumentis, supellestile, fundo, aedibus, & similibus, ex quibus aliqua utilitas, aut commodum quaecunque percipi solet. *§. 2. Inst. b. t. l. 3. §. 1. l. 7. ff. eod.* Unde & numismatum aureorum vel argenteorum. *l. 28. ff. d. t.* & statuae ususfructus, & imaginis legari potest, si quo loco collocentur opportuno, & utilitas quaedam inde capiatur. *l. 41. pr. ff. eod.* quin & quamvis res nullam contineant utilitatem, sed contra damnum afferant, potest tamen earum ususfructus relinqui, modo aut voluptati, aut amoenitati nobis fuerint. *d. l. 41. §. 1.* omnis enim animi voluptas, omnis delectatio, omne oblectamentum fructus loco habetur.

II. In hominis ususfructu operae sunt, &c, ob operas, mercedes. *l. 3. & 4. ff. de oper. serv.* quicquid igitur servus acquirit ex operis suis & re fructuarii, ipsi adjicitur. *§. 4. Inst. per qu. pers. C. acq. §. 2. Inst. per qu. pers. nob. oblig. acq. l. 10. §. 3. ff. de acquir. rer. dom. l. 43. §. ult. ff. eod l. 26. ff. b. t.* nisi nominatim domino proprietatis stipuletur, aut nomine ejus rem accipiat, quo casu proprietario quaerit. *l. 25. §. 3. ff. eod l. 37. §. 5. ff. de acquir. rer. dom.* attamen fructarius hoc condicere potest. *l. 39. ff. de stipulat. serv.* si autem servus fructarius haeres sit institutus, legatumve quid ei, aut donatum fuerit, interest cuius gratia vel heres scribitur, vel ei legatur, donaturve: Etenim si quidem contemplatione fructuarii aliquid ei

ei relictum fuerit, vel donatum, fructuario: si vero proprietarii, ei: si simpliciter ipsius servi proprietatis domino similiter acquiretur. l. 21. & 22. ff. b. t.

III. Si fundi ususfructus relictus sit, non tantum quicquid in fundo nascitur fructuarii erit, sed & apium, si in eo fundo sint, usumfructum habebit; lapidicinis quoque, cretifodinis, & metallis, etiamsi demum post usumfructum legatum inventa fuerint, recte utetur fructarius, quia appellatione fundi omnes ejus partes comprehenduntur. l. 113. ff. de R. f. Jam alluvionis jus, aucupiorum & venationum, pescationumque redditus ad eum pertinebit. Denique & instrumenta fundi legato continentur. l. 9. l. 15. §. 6. ff. b. t. Instrumenta autem fundi (ut Ulpianus noster ex Sabini libris ad Vitellium scriptum reliquit) intelliguntur omnia, quae fructus quaerendi, cogendi, conservandi gratia parata sunt, ut villici, boves, equi, oves, aratra, ligones, corbes, falcesque messoriae, dolia, & si qua ibi similia enumerantur. l. 8. 10. & 12. ff. de Instruct. vel instrum. leg. Aedium usufructu relicto omnia similiter commoda & emolumenta, omniaque quae ad aedes pertinent, fructuarium sequuntur. d. l. 15. §. 6. ff. b. t.

IV. In pecudum fructu non tantum lac est, & pilus, & lana, sed & agni, & haedi, & vituli, & equuli, & suctuli simul ac lucem adspexit, statim pleno jure fiunt fructuarii. §. 37. Inst. de rer. div. l. 28. ff. de usur. Partus tamen ancillae in fructu non est. d. §. 37. Inst. de rer. div. l. 28. §. 1. ff. de usur. l. 68. ff. b. t. Neque enim ad hoc habentur ancillae, ut pariant, sed serviant. l. 27. ff. de hered. pet. Denique absurdum visum fuit veteribus hominem in fructu esse, cuius gratia omnes fructus rerum natura comparavit. d. §. 37. d. l. 28. §. 1.

V. Cum vero ea sit natura Ususfructus, ut consistat *in rebus alienis*, utque iis utatur fruatur fructarius *salva illarum substantia*, nec non easdem finito usufructu restituat, jus civile autem nihil singat, nisi quod fieri potest; manifestum est, res fungibles sive de naturali ratione, sive de civili quaeramus usumfructum non recipere. §. 2. Inst. b. t. quippe quae nullum usum, nullum fructum, nullam praestant utilitatem, nisi consumantur, & utendo pereant, veluti vinum, oleum, frumentum, caeteraeque res pondere, numero, & mensura constantes, quibus *abutit* non *uti* dicimus. Utimur enim his, quae nobis utentibus permanent: Abutimur illis, quae nobis utentibus intereunt. Ex iis itaque rebus extincto usufructu restitui nihil potest: consumi quoque res non possunt, nisi ab eo, cuius propriae sunt: quare, ut dominium in fructuarium transeat,

transeat, necesse est. l. 7. ff. de Usufr. ear. rer. quod plane repugnat naturae ususfructus.

VI. Verum enim vero utilitatis gratia, & quo latior esset morientium voluntas extrema, Senatus censuit, ut earum quoque rerum, quae tolluntur usu, aut minuantur, possit, non quidem verus (naturalis enim ratio decreto amplissimi ordinis commutari nequit) sed quasi Ususfructus legari, hoc colore atque remedio introducto: ut, si quantitatis ususfructus sit relictus, res ita dentur legatario, ut ejus fiant: is autem heredi satisfiet, de rebus ejusdem generis restituendis, vel earum aestimatione, si aut mortuus fuerit, aut capite minutus. §. 2. Inst. b. t. l. I. 2. & 7. ff. de Usufr. ear. rer.

VII. Quoniam igitur hae res ita comparatae sunt, ut in genere suo functionem recipient. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. per similitudinem quamdam, & beneficio cautionis recte earum quasi usumfructum constituit amplissimus ordo. Nam quemadmodum in vero ususfructu penes alium est jus utendi fruendi, penes alium proprietas: ita quoque legatarius dicitur habere usumfructum, heredi loco proprietatis cautio est, vel ea omissa obligatio, qua tenetur usufructuarius sublato ususfructu ad res ejusdem qualitatis restituendas l. 5. §. 1. ff. de usufr. ear. rer. Et quemadmodum in usufructu naturali res salvae permanent & integrae, deletaque servitute restituuntur: ita & in facto falsa rerum substantia intelligitur non quidem ratione corporum aut specierum, sed generis ac bonitatis ejusdem, qua illae res, cum ususfructus ad fructuarium pertinere desierit, redduntur, quia aliae funguntur vice aliarum, & tantundem praestant, ac si ipsae res fuissent restitutae.

VIII. De pecunia numerata dubitari potest, utrum proprio, an quasi ususfructui sit annumeranda, utpote quae usi neque consumitur, neque tollitur, neque minuitur, sed corpora ejus in sua substantia durant. Placuit tamen eam, quoniam expendendo & alienando, assiduaque permutatione quodammodo extinguitur, ita ut usum atque dominium non tam ex substantia praebat, quam ex quantitate. l. 1. ff. de contrah. empt. ad impro prium usumfructum referre. §. 2. Inst. b. t.

IX. Vestimentorum sitne verus, an quasi ususfructus, sanequam dis sentiunt viri eruditii, alii ea ad verum, alii ad utrumque usumfructum diverso respectu applicantes, moti §. 2. Inst. b. t. ubi vestimenta in numero rerum earum recensentur, quae consistunt in abusu, & intereunt utendo. Ego, quantum quidem pro captu meo, atque in legum scien tia processu rem assequi possum, subscribo sententiae illorum, qui existimant

stimant Tribonianum inconsulto errore lapsum, neque minus vestium, quam navium, & vasorum quasi usumfructum esse, usu namque non consumuntur, sed atteruntur, & deteriores fiunt. Navium tamen vasorumque, quamvis & ipsa teruntur, ac usu longiore vilescent, verum usumfructum constitui certi est, ac indubitati juris. l. 12. §. 1. ff. b. t. l. 12. ff. ususfr. Quem. Cav. Verum autem esse vestimentorum usum, eaque haut numeranda in rebus, quae usu tolluntur, inde colligitur, quod alteri & locari possunt, & commodari. §. 1. ante ult. Inst. de locat. & conduct. l. 15. §. 5. ff. b. t. secus ac res fungibles. arg. l. 3. §. ult. ff. commod. Quare probari nullo modo potest Doctorum distinctio: si vestium ususfructus legatus sit instar quantitatis, intelligitur quasi ususfructus relictus: si autem simpliciter ut cuiusvis alterius corporis, verus. Nam & idem pari ratione de aliis rebus omnibus dicendum foret, atque in iis diverso intuitu modo quasi ususfructus modo verus constitui posset quod nemo facile dixerit. Mitto, quod legatario injungitur vestibus uti boni viri arbitratu, l. 15. §. 4. ff. b. t. quod veri ususfructus proprium est l. 1. pr. & §. ult. ff. ususfr. quem. Cav. Mitto, quod fructuarius liberatur, & satisfacit heredi, si vestes finito ususfructu sine dolo malo attritas, & quod inde exstat, reddiderit. l. 9. §. 1. ante ult. ff. cod. quod & ipsum proprio duntaxat ususfructui convenit. d. l. 1. pr. & §. ult. cod. tit. sane Ulpianus l. 15. §. 4. ff. b. t. verum & naturalem usumfructum in vestimentis constitui expressis verbis tradidit, id quod hac luce clarius est, si textum illum incuria aut insciitia librariorum corruptum emendemus atque restituamus ex conjectura Gerardi Noodt, viri in disciplina juris atque legibus populi Romani noscendi, explicandi, docendiisque scientia atque usu nobilis, & illustris, lib. 2. Probab. cap. 4. ad hunc modum: *Et si vestimentorum ususfructus legatus sit, non sicut quantitatis ususfructus legato dicendum est, ita uti enim debere, ne abutatur &c.* Neque adverferatur opinioni nostrae, quod idem ille Ulpianus ibidem subjungit: *vestimenta locari non posse.* Fructuarius enim boni viri arbitrio uti debet & ad rei conditionem, ad quam a patrefamiliarum est parata. d. l. 15. §. 1. ff. b. t. quam-obrem si testator non fuerit solitus locare vestes, ususfructario quoque jus non est easdem locandi, quia vir bonus ita non uteretur. d. l. 15. §. 4. si vero tales sint vestes, quae locari solebant a testatore, idem quoque fructuario conceditur. d. l. 15. §. 5.

SECTIO III.

Series nostri instituti ac dispositionis eo nos deduxit, ut perscrutemur quemadmodum constituantur ususfructus, & a proprietate separetur. Id quod pluribus modis accidit. *l. 6. ff. h. t.* Constituitur enim vel a *Lege*, vel a *Judice*, vel a *Domino*.

I. A *lege*: ut patri in bonis adventitiis filiifamilias. §. 1. *Inst. per qu. perf. C. acquir. l. 6. l. ult. Cod. de bon. quac. lib.* quod tamen non est perpetuum. nam quibusdam casibus statim plena adventitiorum proprietas filio acquiritur. ut ecce: si reclamante patre filius delatam sibi hereditatem adierit. *d. l. ult. pr. versic. sive e contrario. & §. 1. Cod. de bon. qu. lib.* Si quid filiofamiliarum relictum sit, aut donatum ea lege, ne ad patrem ususfructus veniret. Si filius ad hereditatem fratri sororisve una cum patre admittatur. Idem juris est in his, quae filio deferuntur, si genitor sine justa causa uxorem dicatur repudiasse. *Auth. Excipitur cum 2. seqq. Cod. eod. tit.* Praeterea patri per emancipationem filiumfamilias paterno nexus liberanti ab Imperatore Justiniano tribuitur Ususfructus in parte dimidia earum rerum filii emancipati, quae acquisitionem effugiebant, & proprietate tenus ei acquirabantur. §. 2. *Inst. per qu. perf. C. acq. l. 6. §. 3. Cod. de bon. q. lib.* Cum antea hoc casu Constantiniana constitutione parens tertiam partem non ususfructus, sed dominii rerum sibi posset retinere quasi pro pretio quodammodo emancipationis, & remunerationis ergo. *d. §. 2. & d. l. 6. §. 3.*

II. Sic mulier sublatis ex priore conjugio liberis ad secunda vota transiens, quicquid ex facultatibus defuncti mariti sive sponsaliorum jure, sive propter nuptias donationibus, sive mortis causa factis, fuerit consequata: quicquid ex testamento jure directo, aut fideicommissi, aut legati titulo, vel cuiuslibet munificae liberalitatis praemio ex bonis prioris mariti perceperit, horum omnium *Lege* amittit proprietatem, & solum usumfructum retinet. *l. 3. pr. cum Auth. seq. Cod. de secund. nupt.* Idem dicendum est de bonis, quae ex successione filii praecedentis matrimonii ad matrem venerunt. *Auth. ex testamento. Cod. eod.* Et e contrario maritus, qui ad secundas nuptias pervenit in bonis a priori conjugе quolibet modo profectis acquirit usumfructum proprietate amissa. *l. 5. Cod. eod. tit.*

III. *Lege* denique constituitur Ususfructus, sicut reliquae servitutes, per usum diuturnum, & longi temporis praescriptionem: si enim quis a non domino, quem dominum esse credebat bona fide usumfructum fundi emerit, eoque diutino tempore, & longa quasi possessione, scil: inter

prae-

praesentes decennio, inter absentes viginti annis. pr. Inst. de Usucap. fuerit usus, nanciscitur jus utendi fruendi. l. ult. in fin. Cod. de praescript. long. temp.

IV. Per Judicem segregatur ususfructus a proprietate in judiciis divisoriis familiae erciscundae, & communi dividendo adjudicationibus, & condemnationibus proprietatem alteri, alteri fructus assignantem, si divisio rei sine cuiusquam injuria commode fieri nequeat. l. 6. §. 1. ff. b. t. l. 16. §. 1. ff. Fam. ercisc. l. 6. §. 10. ff. comm. div.

V. Dominus usumfructum a proprietate secernit aut *ultima voluntate*, aut *contractibus inter vivos*. §. 1. Inst. b. t. l. 3. pr. ff. eod. l. 4. Cod. d. t. quia suae quidem quisque rei moderator est, atque arbiter. l. 21. Cod. mand.

VI. Si igitur testator usumfructum fundi alicui legaverit, ad haeredem nuda pertinebit proprietas, ususfructus ad legatarium. Contra si fundum alicui legaverit deducto Ususfructu, apud legatarium manebit sola proprietas, apud heredem ususfructus. §. 1. Inst. b. t. l. 6. ff. eod. l. 4. ff. si ususfr. pet. ajo deducto ususfructu: nam si uni fundus simpliciter legetur, alteri ejusdem fundi ususfructus, uterque in usumfructum concurrent, etiam si aliter senserit testator. l. 19. ff. de us. & ususfr. leg. l. 6. ff. de Ususfr. ear. rer. quia qui fundum simpliciter legavit, etiam usumfructum ejus legasse intelligitur. arg. l. 58. ff. de verbis. oblig. sane alia ratio est, quod in judiciis divisoriis, si judex alteri fundum, alteri usumfructum adjudicaverit, non communicatur ususfructus. l. 16. §. 1. ff. fam. ercisc. quia in iis id agitur, ut a communione recedatur l. 1. pr. ff. eod.

VII. Relinquitur autem ususfructus vel per *damnationem*, cum heres jubetur alicui dare usumfructum; quod fecisse intelligitur, si legatarium in fundum legatum induxit, eumve patiatur uti frui. l. 3. pr. ff. b. t. ejusmodi enim legatum facto heredis praestatur, uti Paulus lib. 3. sent. tit. 6. litteris consignavit: vel per *vindicationem*, veluti Usumfructum fundi Corneliani Gajo Macvio do, lego. l. 20. ff. b. t. sive Usumfructum Gajus sibi habero. l. 34. §. 14. ff. de leg. l. quo casu statim a morte testatoris ipso jure legatario fundi ususfructus absque ulla traditione heredis acquiritur, quia ipse ex voluntate defuncti usumfructum invito herede vindicare potest. arg. l. ult. ff. de servit. leg. l. 19. §. 1. ff. quem. serv. amitt. Paul. lib. 3. sent. tit. 6. Atque haec quidem differentia inter usumfructum per damnationem, aut per vindicationem relictum jure veteri obtinebat. Veruntamen hodie postea, quam omnium legatorum jura inter se exaequata sunt, idem est utriusque legati effectus, nisi manifeste testator aliud voluerit. §. 2. Inst. de Legat. l. 1. Cod. comm. de Legat.

VIII. Unde si testator non usumfructum, sed annuos fructus legaverit,

plurimum interest, quemadmodum legati verba fuerint concepta. Etenim si his verbis legatum sit comprehensum: *Fructus annuos fundi Corneliani Publici Maevio do, lego.* perinde accipienda est oratio, atque si ususfructus fundi esset legatus, quia haec mens testatoris fuisse videtur. *l. 41. ff. de Us. & Usfr. leg. l. 20. ff. b. t.* utpote qui legatario plenam tribuit potestatem propria auctoritate fructus capiendi. Si vero ita fuerit legatum: *Fundi Aebutiani reditus uxori meae, quoad vivat, dari volo.* Non videtur ususfructus relictus, sed tantum annua quantitas, quam vivus paterfamilias ex locatione fundi redigere consueverat. *l. 38. ff. de us. & usfr. leg.* quia uxor ipsa proprio arbitrio fructus percipere non potest, sed ex manibus heredis eos debet consequi.

IX. Si quis autem fine testamento alteri velit usumfructum constituere, pactionibus & stipulationibus id efficere potest. *§. 1. Inst. b. t. l. 3. pr. ff. l. 4. Cod. eod.* hoc est, quoconque contractu, aut justo titulo ad dominium transferendum idoneo, veluti emptione, permutatione, donatione. *arg. l. 31. pr. ff. de acq. rer. dom.* nudo enim pacto jure civili nihil agitur, neque ex eo illa nascitur actio, nisi causa subsit. *l. 7. §. 4. ff. de pact.* aut illud lege fuerit confirmation. *l. 6. l. 17. §. 1. ff. eod.* aut contractui bonac fidei in continentia adjectum. *l. 7. §. 5. ff. eod. tit.*

X. Justum autem titulum quasi traditio, sive patientia domini, quae est loco traditionis (res enim incorporales proprie traditionem non recipiunt), sequatur necesse est. *l. 11. §. 1. ff. de publ. in rem aet. l. ult. ff. de servit. l. 1. §. ult. ff. de serv. praed. rust. l. 1. pr. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* *Siquidem traditionibus & usucaptionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. l. 20. Cod. de Paet. §. 40. Inst. de rer. divis.* quae regula generalis est, nec minus ad servitutem, quam rem corporalem acquirendam pertinet. *arg. l. 3. ff. de oblig. & aet.*

XI. Itaque quibus in causis dominium rerum corporalium apiscimus per traditionem, in iisdem rerum incorporalium nanciscimur per unius usum & patientiam alterius, quac traditio est naturae harum rerum congruens. *l. ult. ff. de serv. l. 1. §. ult. ff. de serv. praed. rust. junct. l. 3. ff. b. t.*

XII. Sed quod diximus usumfructum constitui inter vivos pactionibus & stipulationibus, hoc de vero intelligimus usufructu, non etiam de facto, quippe qui supremo tantum constituitur iudicio. *§. 2. Inst. b. t. & tot. iir. ff. de usfr. ecr. rer., ubi semper legati, nunquam contractus fit mentio.*

XIII. Potest Ususfructus constitui vel pure, vel ex die, vel sub conditione. *l. 9. §. 4. ff. ad exhib. l. 4. ff. b. t. l. 16. ff. Quib. mod. Usfr. amitt. l. 16. §. 2. ff. Fam. ercise.* vel pro parte rei divisa, vel pro parte indivisa. *l. 5. ff. b. t. l. 14. ff. Quib. mod. Ususfr. amitt. l. 25. ff. eod.* Est enim ususfructus dividuus, quia fructus in fruendo sive perciendo

cipiendo est, quod cum in facto consistat in partes divisionem recipit. l. 13. §. 1. ff. de acceptil. l. 1. §. 9. ff. ad l. Falcid. l. 81. pr. ff. eod. l. 19. ff. de ns. & hab. quod tamen peculiare est in usufructu. Nam cacterae individuae sunt servitutes, quia usus earum indivisus est, nec pro parte esse potest. l. 17. ff. de serv. l. 4. §. 4. ff. si serv. vind. l. 7. ff. ad l. Falc. d. l. 1. §. 9. ff. eod. l. 19. ff. de ns. & hab.

S E C T I O N I V.

NE autem dominus temere defraudetur rebus suis, verum securus esse possit de proprietate, non ante is, cui constitutus est ususfructus, consequitur jus utendi fruendi, quam si repertorium (quod vulgo inventarium dicitur) fuerit conscriptum omnium rerum, quae in usufructu sunt, ac de utroque caverit fructuarius: & se usurum fruiturum boni viri arbitratu: & cum Usufructibus ad eum perire desinet, restituturum, quod inde extabit. l. 1. pr. & §. 4. ff. Usufr. Quem. cav. l. 13. pr. ff. b. t. l. 4. Cod. eod. Non autem ipsam rem stipulatur proprietarius, suae enim rei inutilis est stipulatio. l. 1. §. ult. ff. Usufr. Quem. cav. §. 2. Inst. de Inutil. stip. l. 1. §. 10. ff. de oblig. & act. Sane rem suam sibi restitui recte stipulari videtur: l. 82. pr. ff. de verb. oblig. sic quidem cavetur in Usufructu vero.

I. Sed cum absurdum sit a domino rei exigere cautionem de utendo boni viri arbitrio, longe alia satisfactio praestari solet in quasi Usufructu. Cavet enim ille, ad quem id commodum pervenit: se finito usufructu aut ejusdem generis, & qualitatis res redditurum, aut earum loco aestimationem, si res fuerint aestimatae. §. 2. Inst. b. t. l. 7. ff. de Usufr. ear. rer.

II. Utraque cautio fructaria fidejussores requirit, non etiam sufficiunt pignora, quia neutra non satisfactio est. l. 13. pr. ff. b. t. l. 4. Cod. eod. l. 7. pr. ff. Usufr. Quem. cav. l. 8. §. 4. ff. Qui satisf. cog. l. 8. ff. de Usufr. ear. rer. satisfactio enim est cautio, qua adversarium nostrum securum facimus datis fidejussoribus. l. 1. ff. Qui satisf. cog. Praeterea & Praetor satisfari jubet. l. 1. pr. ff. Usufr. Quem. cav. l. 5. §. 1. ff. eod. Praetoriae autem satisfactio personas desiderant pro se intervenientium, neque pignoratiis cautionibus locum faciunt. l. 7. ff. de stipulat. praet. arg. tot. rit. ff. Qui satisf. cog. Ubi ne unus quidem Jctus pignorum meminit.

III. Quod si per contumaciam nolit satisfare fructuarius, aut per inopiam forte fidejussorem reperire nequeat, nulla dabitur ei actio petendi usumfructum. l. 6. pr. ff. ut. in possess. leg. vel fideic. serv. caus. es. lic. l. 13. pr. ff. b. t. & ab eo restradita vindicari poterit, & omissa stipulatio condici. l.

7. pr. f. usuf. Quem. cav. quia ipsi sub hac conditione ut *satisfactus* legatus esse videtur ususfructus, & ejus actio. Nam sicut ipse uti frui debet, ita proprietarium oportet certum esse, atque securum de proprietate. d. l. 13. pr. Neque est, quod quisquam dicat, eam conditionem esse impossibilem (impossibilium autem nullam obligationem esse. l. 185. ff. de R. f.) quid enim facilius fieri potest, quam fidejussorem habere? difficilis itaque quidem est illa conditio, fateor, si cum respiciamus, pro quo alii propter rei familiaris angustiam intervenire recusant; non plane impossibilis. Ita se res habet si de jure civili quaeramus.

IV. Aequitas tamen & humanitas suadere videtur, si praestandae cautionis fidejussoria facultate destituatur fructuarius: aut pignora idonea recipienda. arg. l. 21. §. ult. ff. de pecun. constit. l. 1. §. 9. ff. de collat. l. 59. §. ult. ff. mandat. l. 4. §. 8. ff. de Fideic. libert. aut, si homo frugi sit, ac proposito sanctissimus, juratoriae cautioni cum committendum. arg. Auth. Generaliter. Cod. de episc. & Cler. Nov. 112. cap. 2. l. 6. ff. si cui pl. q. per. l. Falc. quo casu & proprietatis domino rei fructuariae curam gerere concedi debet. Aut, si vitae fuerit dissolutioris, suspectae ac minus probatae bona fructuaria penes sequestrem deponenda, qui usufructuario de fructibus respondeat. arg. l. 7. §. ult. ff. Qui satisd. cog. l. 5. §. 1. in fin. ff. ut legat. seu fideic. serv. c. cav. aut apud ipsum remanenda proprietatum, qui contra fructuario idonee caveat: totum tamen hoc negotium permittendum judicis arbitrio, qui diligenter inquirat, quid optimum factu sit, ut in omni eventu & proprietatis domino satis sit caustum, & Usufructuarius nullo non gaudeat emolumento, ne pereat ultima testantium voluntas. Utor igitur verbis Pauli ex lib. 46. ad edictum, & concludo: *Haec aequitas suggestit, et si jure deficiamus. l. 2. §. 5. in fin. ff. de aq. & aq. pl. arc.*

V. Adeo autem praecise cogitur hanc cautionem praestare is, cui ususfructus relictus est, ut ipsi ea ne testamento quidem a testatore remitti possit. l. 1. & 4. Cod. b. t. l. 7. Cod. ut in Poss. leg. vel fideio. quia introducta est in favorem heredis, ac proinde pugnat id quodammodo cum natura & fine Ususfructus. Practerea remoto cautionis metu, fructuario præbetur delinquendi occasio, abutendi rebus fructuariis, & pro libidine in iis grassandi. Legibus itaque remissio cautionis interdicta est. d. d. l. l., & bonis moribus adversatur, malitiis quippe indulgendum esset: quare favor ultimae voluntatis, ac summa patrifamilias lege xii. Tab. concessa legandi potestas nihil hic quicquam facere potest, quo minus fructuarius ab onere praestandae cautionis liberetur, cum nemo possit extremo judicio constituere, ac cavere, ne legibus satisfactionem exigentibus in suo testamento locus relinquatur. l. 55. ff. de leg. l. l. 112. §. 1. ante ult. ff. cod. VI.

VI. Quod si forsan cautio a testatore fuerit remissa, non puto vitiare ipsum legatum ususfructus, sed eam pro non scripta habendam, permittendumque nihilominus legatario satisdare, & uti frui. *arg. l. 6. pr. ff. ut in posse. leg. vel. fideic. serv. C. ef. lic.*

VII. Quum autem in gratiam & securitatem heredis inventa sit haec cautio. *l. 13. pr. ff. b. t. nullus dubito, quin heredi liceat eam remittere. arg. l. 71. ff. ad l. fal. l. 46 ff. de Paet. neque temere: quilibet enim potest favori ac beneficio pro se introducto renuntiare l. 51. Cod. de Episc. & cler. l. 29. Cod. de Paet.*

VIII. Illud quaeri solet, an cautio sit de substantia ususfructus? De vero conveniunt plerique interpretes, nihil eam commune habere cum substantia ejus. De facto non aequa inter omnes constat, alii ajentes, negantes alii. Placet in magna copia eorum, qui dissentiant, sententia negantium. Non inficiamus cautionem eatenus quodammodo de substantia impripi ususfructus dici posse, quatenus consideratur, quod remedio cautio- nis, quae vice proprietatis fungitur, primum a senatu fuit constitutus. §. 2. *Inst. b. t. l. 2. ff. de Usufr. ear. rer. & quemadmodum necessario in proprio usufructu satisdato, si id exigatur, cavendum ante est, quam res tradantur utendaefruendae, sic in hoc quoque nec res, nec fructus prius transferuntur. l. 13. ff. b. t. l. 4. Cod. & res traditae vindicari possunt. l. 7. pr. ff. Usufr. quem. cav. & omissa cautio condici utrobique. d. l. 7. l. 5. §. 1. ff. de Usufr. ear. rer. Veruntamen si paulo diligentius rem perpenderimus, non magis cautionem, quae in quasi usufructu proprietatis vicem gerit, formam esse & substantiam hujus ususfructus reperiemus, quam proprietatem veri. Cer- tum quidem est, sicut proprius & naturalis ususfructus nullus est sine proprie- tate, quae ei ex adverso opponitur, ita nec quasi ususfructus haberi potest sine cautione, quae si praestata sit, loco proprietatis est: caeterum si fue- rit omissa ab herede (negligitur enim interdum l. 5. §. 1. ff. de usufr. ear. rer.) non statim ususfructus proprietate destituitur, neque eo minus consistit, & extinguitur suo modo: hoc enim casu res, quae finito usufructu in eodem genere, eademque bonitate restituuntur, proprietatis speciem praeferunt. §. 2. *Inst. b. t. l. 7. ff. de Usufr. ear. rer. Quid multa? posse quasi usumfru- ctum confistere sine cautione plusquam manifeste Ulpianus & regius lib. 18. ad Sabinum resert, docens: pecuniae, aliarumque rerum, quae in absumpcio- ne sunt, quasi usumfructum recte legari; etiam si cautio aut fuerit omissa, aut nulla intervenierit. Quam sententiam & Sabinus putat veram, & Celsus libro octavo decimo digestorum probat. l. 5. §. 1. ff. de Usufr. ear. rer. heredi tamen jus esse neglectam cautionem constante usufructu, si velit, exigendi, aut finito eodem condicendi ipsam quantitatem, quae proprietatis locum obtinet. d. l. 5. §. 1.**

IX. Licet autem adeo necessaria sit haec cautio, ut, sicut diximus, a testatore remitti nequeat, excipiuntur tamen nonnulli, qui, uti dent satis, cogi non possunt. Sic excusatur ab onere satisfactionis is, cui ususfructus pure, proprietas ex die relicta est, quia heredis nihil interest, quemadmodum futurum sit de proprietate. Constat enim illam ad ipsum fructuarium heredem eujus brevi perventuram. *l. 9. §. 2. ff. ususfr. Quem. cav.* Item patr, cui a lege est constitutus ususfructus in bonis filii familiarium adventitiis, quia reverentia patri debita impedit, quo minus ratiocinia, & cautions ab eo exigantur, neque amor & pietas parentum in liberos sinunt quicquam mali & sinistri de genitore suspicari aut metuere. *l. 6. §. 2. l. ult. §. 4. Cod. de bon. q. lib.* Nec non fiscus, quia non solet iis satisfidare. *l. 1. §. 18. ff. ut legat. fideic. serv. C. cav.* Sed semper idoneus esse successor, & solvendo. *l. 2. §. 1. ff. defund. dor.* Denique donator omnium aut partis bonorum, qui sibi reservavit usumfructum, eo quod mitius cum illo agendum, qui ex sua liberalitate convenitur. *arg. l. 19. §. 1. l. 30. ff. de rend.*

X. Praestita cautione pro ususfructus constituti & promissi quasi traditione tribuitur fructuario actio in personam, si in stipulationem ususfructus deductus sit, qua adversuseum, qui promisit, agit. *l. 16. Cod. b. t. arg. l. 20. Cod. de Pact.* Pro acquisito, sive ex testamento derelicto ususfructu datur ei actio in rem confessoria, *arg. §. 2. Inst. de legat. l. 1. Cod. comm. de Legat.* qua usumfructum sibi competere afferit adverius vel non restituentem vel quemcunque impedientem. *§. 2. Inst. de aet. l. 5. pr. §. 1. & 2. ff. si ususfr. pet.* ad hoc, ut judex pronunciet atque declareret, jus esse sibi utendi fruendi, condemnetque adversarium, ut patiatur actorem uti frui, ac caveat de in posterum non impediendo. *l. un. cod. uti posid. arg. l. 7. l. 12. ff. si serv. vind.* restituatque fructus (si forte reus possederit) perceptos cum omni causa *arg. l. 5. §. ult. ff. si ususfr. pet.*

XI. Quæsito ususfructu liberum est fructuario vel per se uti frui rebus in usumfructum deductis, vel alteri jus utendi fruendi locare, vel vendere, vel quolibet modo gratis concedere. *l. 12. §. 2. l. 38. l. 39. l. 40. ff. b. t. §. 1. Inst. de us. & hab. l. 66. ff. de jur. dot.* vel pignori dare. *l. 11. §. 2. ff. de pign. & hypoth. arg. l. 9. §. 1. ff. cod. l. 49 ff. de ususfr. l. 72. ff. de R. f. l. 8. pr. ff. Quib. mod. pign. vel. hypoth. solv.* etiam invito herede. *l. 67. ff. b. t.*

XII. Quod tamen ita est intelligendum, non quasi fructarius jus personale, quod ex Legato aut conventione acquisitum est, in extraneum transferre, & alium novumque fructuarium pro sene forte juvenem sufficere possit: adeo enim personae cohaeret, ut cum ea extingui necesse sit. *l. 3. §. ult. ff. Quib. mod. ususfr. amittit. l. 8. §. ult. ff. de peric. & comm. rei vend.* sed hoc retento jus rea-

reale, quod extra ejus personam in usu & fructu bonorum fructuariorum consistit, permittitur ipsi alienare, sic ut quamdiu vivat vel in codem statu permaneat fructarius, conductor, vel emptor, vel donatarius omnes percipiat fructus: si vero decesserit, vel capitis diminutionem fuerit passus, intercidat ususfructus, & ad proprietatem revertatur: quia ususfructarius plus juris in alium transferre non potest, quam ipse habet. l. 54. ff. de R. J. neque domino proprietatis ulla sit injuria, cum ususfructus semper aestimetur ex persona fructuarii, utpote qui eum vel per conductorem, vel emptorem, vel donatarium retinere videtur. d. l. 12. §. 2. l. 38. l. 39. ff. b. t. nam quod quis per alium facit, per se facere intelligitur. arg. l. 5. §. 3. ff. de Admin. & per. tur.

S E C T I O V.

Sic fruitur ususfructarius omnibus commodis, omnibus emolumenis, omnibusque voluptatibus, quæ vcl ex re, vel ejus occasione capiuntur. l. 7. l. 9. l. 59. §. 1. ff. b. t. Aequum est, ut onera, quae rem fructuariam comitantur, subeat, sustineatque, ne quid de proprietate detrahatur. d. l. 7. §. 2. & 3. ff. b. t. nam secundum naturam est incommoda cuiusque rei cum sequi, quem sequuntur commoda. l. 10. ff. de Reg. jur.

I. Ejus igitur, ad quem ususfructus pervenit, officii est, ut rem, quemadmodum cam accepit, salvam & integrum, quantum cura, industria, & resarciendo fieri potest, domino proprietatis servet. l. 65. ff. b. t. l. 1. §. 7. in fin. ff. usuf. Quem. cav. sic agrum aratro proscindere, frangere humum rastris, frumenta sulcis, vineas scrobibus mandare, ulmis adjungere vites, aquaeductus reficere debet. l. 13. §. 2. ff. b. t. arbores adserere, propagare. l. 7. §. ult. ff. eod. in vinearum demortuarum vel arborum locum alias substituere cogitur, ne segnes jaccant terrae. §. 38. Inst. de rer. div. l. 18. ff. b. t. & quia priores ad se pertinent: d. l. 18. nisi turbine dejectae, ac vi tempestatis fuerint eversae, quae calamitas proprietatis domino ferenda est. l. 59. pr. ff. b. t. quoniam ipse earum commodum plurimum sentit. l. 12. pr. ff. eod.

II. Servum quoque ususfructuarium sufficienter alere, & secundum ordinem ac dignitatem mancipiorum vestire l. 15. §. 2. ff. b. t. aegrotum curare ac confirmare, medico honorem habere debet. l. 45. ff. eod.

III. Gregis vel armenti ususfructu legato in locum defunctorum vel inutilium capitum nova submittere, & ex foetu gregem armentumve supplere fructuarii munus est. §. 38. Inst. de rer. divis. l. 68. §. 2. l. 69. ff. b. t. recte enim colere & tanquam bonus patersfamilias uti debet. d. §. 38. id quod cautione fructuaria in se recepit. l. 1. pr. & §. 3. ff. usuf. Quem. cav. Hinc elegans locus

DISSERTATIO

cus *Vergili lib. 3. Georg. vers. 63.* & dignus, quem adscribamus. Verba ejus haec sunt:

*In terea, superat gregibus dum laeta juventus,
Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus:
Aique aliam ex alia generando suffice prolem.*

Et paulo post:

*Semper erunt, quarum mutari corpora malis,
Semper enim refice: ac ne post amissa requiras,
Anteueni, & sobolem armento sortire quotannis.*

Si vero ex illo grege aut armento nulla fuerint agnata prioribus demortuis, aut si abortierint pecora, vel foetus prius perierint, quam possent submitti, nova aliunde petere non habet necesse. *d.l. 68. §. 2. ff. b.t.*

IV. Fiunt autem corpora substituta domini, ea, quibus substituuntur, fructuarii. *l. 69. ff. b.t.* Quid ergo si non suppletat? tenetur ad id proprietario. *l. 70. pr. ff. eod.* Quod si non gregis, aut universitatis, sed singularium capitum relictus sit ususfructus, non est cur usufructarius supponat, cum tot sint ususfructus, quot sunt capita, quorum uno sublati, ejus erit ususfructus extinctus. *d.l. 70. §. 3.*

V. Aedificiorum ususfructus si ad aliquem pertineat, sarta tecta ea praestabit. *l. 7. §. 2. ff. b.t.* reficietque quicquid suo suorumque facto deterius est redditum. *l. 65. pr. ff. eod.* neque solum necessarias refectiones facere poterit, sed etiam voluptarias, dummodo aut nihil ampliet, aut utile non detrahatur. *d.l. 7. §. 3. l. 13. §. 7. ff. eod.* quamvis melius esset repositurus. *l. 8. ff. b.t.* Si vero vetustate corruerint, liberum ipsi erit non reficere, quia ad modicum tantum reparationem obligatur. *d.l. 7. §. 2.*

VI. Hinc quaesitum est an fructuarius possit novas aedes in fundo excitare? & constat eum nullum aedificium ponere posse, nisi quod ad fructus percipiendos necessarium est. *l. 13. §. 6. ff. b.t.* Etenim si ususfructus alter commode exerceri, fructusque reponi ac custodire nequeant, conceditur fructuario non tantum aedificium coeptum ad finem perducere, sed & novum extrudere. *d.l. 13. §. 6. l. 73. ff. eod.* quia ipsi licet omnia facere ad minicula, sine quibusuti frui nequit. *l. 1. §. 1. ff. si ususfr pet.* utpote permisso aliquo etiam permissum id intelligitur, sine quo prius illud expeditum non potest. arg. *l. 2. ff. de jurisd.* quam ob rem si aedificio illo non indigeat fructuarius ad fructus quaerendos & conservandos, neque novum aedificare, *d.l. 13. §. 6. ff. b.t.* neque tectorium parietibus, qui rudes fuerunt, imponere, tametsi meliorem, excolendo opus, domini causam facturus esset. *l. 44. ff. eod.* neque domum inchoatam consummare poterit, licet ea

ea aliter non possit uti, quia domus illius ususfructus non videtur reliqua, nisi in legando usufructu specialiter fuerit adjectum, ut sibi eam perficere liceret. l. 61. ff. h. t.

VII. De impensis, quas fecit usufructuarius, ita constitutum est: parvae & modicae ad ipsum respicient. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. ff. h. t. magnas a proprietatis Domino repetet. d. l. 7. §. 2. l. 7. Cod. Eod. Si vero quis quaeſierit, quinam habeantur modici, quinam sumptus immensi? cum id nusquam aperte definitum invenero, assentior iis, qui hoc judicis arbitrio committendum censem per l. 1. ff. de jur. delib.

VIII. Ad haec & alia onera, ut puta vectigalia, stipendia, tributa, & similia, etiamsi extra ordinem indicantur, agnoscere cogitur fructuarius. l. 7. §. 2. l. 52. ff. h. t. l. 28. ff. de usf. & usuf. leg. nec quicquam refert, praeteritane ea sint, an post usumfructum constitutum demum imposita. d. l. 28. ff. de usf. & usuf. leg. arg. l. 7. ff. de publ. & vectig. l. 5. §. 2. ff. de cens. Denique omnia agri onera ad eum pertinent. l. 27. §. 3. ff. h. t. nisi omnes absorbeant redditus. arg. l. 7. §. 2. ff. eod.

IX. Legata tamen praestare aequaliter alienum defuncti persolvere, esse potius heredis, quam fructuarii, verius est. §. 1. Inst. de legat. l. ult. ff. de usf. & usuf. leg. l. 69. ff. ad l. Falc. Quoniam heres est obnoxius oneribus hereditariis. l. ult. Cod. de hered. act. l. 1. Cod. sicut. pet. l. 1. & 2. Cod. de hered. vel. act. vend. Nam simul ac aliquis hereditatem sibi delatam creverit adieritque protinus judicium testatoris agnoscere, taciteque se legatarii obligare intelligitur. §. 5. Inst. de obl. q. q. ex contr. l. 5. §. 2. ff. de obl. & act. l. 3. §. ult. l. 4. ff. Quib. ex caus. in posse. eat. coque ipso momento succedit in universum ius, quod defunctus habuit, atque ejus personam gerit. l. 24. ff. de verb. signif. adeo ut, si semel heres extiterit, non possit definire heres esse. l. 88. ff. de hered. Inst. l. 7. §. 10. ff. de minor. §. 3. Inst. de fideic. hered. Sed obligationes & actiones, quae a defuncto cooperunt, in se, ut pote que ejus personam sustinet; transmittantur. l. 1. §. 16. ff. ad scilicet Trebell. Hoc amplius, posset esse tam grande aequaliter alienum, ut etiam multorum annorum fructus pares non essent futuri ad id solvendum, quo casu inutilis foret ususfructus.

X. Non itaque fructuarius ex fructibus, sed heres satisfaciet legatariis; caeterisque creditoribus. Deducet tamen donationes a defuncto reliquias, & aequaliter alienum ex bonis hereditariis. l. ult. §. 4. Cod. de bon. q. lib. l. ult. ff. de usf. & usuf. leg. l. 69. ff. ad l. Falc. in reliquis demum manebit usufructus. Nam nec ea, quae quis debet, habere intelligitur, nec bona dicuntur, nisi quae detracto aere alieno supersunt. l. 39. §. 1. l. 88. ff. de verb. signif. l. 72. ff. de jur.

dot. l. 11. ff. de jur. fisc. l. 2. §. 1. ff. de collat. Sequitur ergo, ut in iis ususfructus relinquatur nequeat.

S E C T I O V I .

Nunc ratio docendi exigere videtur, ut recta procedamus ad *finem* ususfructus, iterque suscepsum sine flexu & ambagibus conficiamus. Expositis enim modis ususfructus constituendi, subiecti sunt contrarii, qui eum destruunt atque evertunt, sequendusque in eo naturae ordo: ut, quicquid originem habuit ac initium, tandem occidat, & extinguitur. Cuncta quippe nascuntur, crescunt, decrescent, moriuntur. Sed quoniam omnis disputatio est de *usufructu* isque ex *usu* & *fructu* compositus est, non alienum erit ante, quam manum ultimam operi imponamus, paucis admonuisse: Quemadmodum covenant *usus* & *usufructus*, quemadmodum differant.

I. *Usus usufructui* similis est, quod uterque servitus est personalis. *l. 1. ff. de serv.* Quibusmodis *usufructus* & constituit, & finitur: iisdem illis modis *usus* solet & constitui, & finiri. *pr. Inst. de us. & hab. l. 1. ff. eod. l. 3. §. 3. ff. b. t.* *Usufructarius* causam proprietatis deteriorem facere, invenient formam rem transmutare non potest, etiamsi meliorem reddat. *l. 13. §. 4. & 7. l. 7. in fin. l. 8. ff. b. t.* Eadem & in *usufructu* dicenda sunt. *l. ult. ff. de us. & hab.* *Uſu* *Sylvae* alicui legato *uſumfructum* relictum videri D. Hadrianus rescripsit, quia si legatario non licet caedere *Sylvam* & vendere, uti *usufructario* conceditur nihil ei prodeisset legatum. *l. 22. pr. ff. eod.* Equitum quoque legato *uſu*, si forte aurigae testator *usum* hunc reliquit, sciens eum ejus esse instituti ac vitae, intelligitur *uſumfructum* equorum legasse, sic ut *Usufructu* locare eos licet. *l. 12. §. 4. ff. eod. tit.* Nihil refert, utrum quis *uſum* habeat an *uſumfructum* pecuniae vel aliarum rerum, quae in abuso consistunt *l. 5. §. 2. ff. de uſufr. ear. rer. l. 10. §. 1. ff. eod.* Aequo is, ad quem *usus* pertinet, atque ille, cui *usufructus* est legatus satisdare cogitur. *l. 1. pr. l. 5. §. 1. & 2. l. 11. ff. uſufr.* *Quem. cav. l. 13. pr. & §. 2. in fin. ff. b. t. l. 7. l. 5. §. 2. ff. de uſufr. ear. rer.* Quemadmodum *Uſufructus*, sic & *usus* legati dies non prius cedit, quam adeatur hereditas. *l. un. §. 2. ff. Quand. di. uſuſr. leg. ced. l. 2. l. 3. ff. Quand. di. leg. vel. fideic. ced.*

II. Sicut in quibuscum *Uſufructu* convenit *Uſus*, ita non per omnia eundem imitatur. Minus enim utilitatis & commodi est in *usu*, quam in *usufructu*. *§. 1. Inst. de us. & hab.* Itaque utendi ratio utriusque & *usufructario*, & *usufructu* in pluribus longe diversa. Hic acquirit omnes fructus non

modo ad necessitatem verum etiam ad compendium, voluptatemque.
l. 7. l. 9. ff. b. t. Ille ex fructibus tantum percipit, quantum ad victum, indigentiam & usum quotidianum sibi suisque sufficit. §. 1. *Inst. de us. & hab.*
l. 12. §. 1. & tot. tit. ff. eod. Quid queris? Utitur ille. *l. 2. ff. eod. tit.* Hic defructur. *l. 7. pr. l. 9. pr. ff. b. t.* Libere hic in fundo commorari potest, eumque colere. *d. l. 7. §. ult. ff. eod.* Illi haec tenus morari licet, ne domino fundi sit molestus, aut iis, qui opus faciunt, impedimento. §. 1. *Inst. de us. & hab.*
l. 11. ff. eod. *usuarius* per se uti debet. *d. §. 1. 2. & 3. Inst. de us. & hab.*
l. 11. ff. eod. Huic permittitur rem utendam fruendam alteri locare, vendere, gratifice concedere. *d. §. 1. Inst. l. 11. ff. de us. & hab. l. 12. §. 2. l. 38. l. 39. l. 40.*
l. 67. ff. b. t. sup. sect. 4. §. 11. & 12. Modica ad *usufructuarium* rei refectio pertinet, aliaque onera subire cogitur. *l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. l. 52. ff. eod.* Illi nullum onus incumbit, nisi cum omnes lucratur fructus, quo casu impensas reparationis, ac caetera onera instar *usufructuarii* ferre debet. Si vero ad proprietarium fructus redeunt, hunc sequuntur onera: si ad utrumque, pro rata dividuntur. *l. 18. ff. de us. & hab.* *Fructui usus inest: Usufructus deest.* *l. 14. §. 1. ff. eod.* *Fructui pro parte possumus. Usu pro parte non possumus.* *l. 5. ff. b. t. l. 19. ff. de us. & hab.* *Fructuarii*, quibus coniunctim *usufructus* est relictus, gaudent jure accrescendi. *tot. tit. ff. de usufr. ad cresc. usuarii* non item. Quia nec conjunctionem recipit *usufr.* nec divisionem. *d. l. 19. ff. de us. & hab.*

S E C T I O VII.

SUpereft, ut doceamus, quemadmodum extinguitur *usufructus*. Etenim ne eo semper abscedente in universum inutilis esset futura proprietas, aequum bonum visum fuit certis modis interire *usufructum*, & ad proprietatem regredi. §. 1. *Inst. b. t. l. 3. §. 1. ante ult. ff. eod.* idque vel ex persona *fructuarii*, vel ex confusione *usufructus* cum proprietate, vel ex ipsa re. Hoc quo facilius sciri possit atque accipi, paulo altius summa repetetur.

I. Finitur ergo morte ejus, cui constitutus est *usufructus*. §. 3. *Inst. b. t.*
l. 3. §. 3. ff. Quib. mod. usufr. amitt. nam simul ac fato defunctus fuerit *fructuarius*, statim proprietatis dominus plenam in re potestatem nanciscitur. §. *ult.*
Inst. b. t. quia personale jus est, quod cohaeret personae, & cum eadem expirat. *d. l. 3. §. 3. ff. Quib. mod. usufr. amitt.* *l. 3. pr. Cod. b. t. l. 8. §. 3. ff. de liberat. leg. l. 13. ff. solut. marim.* Hinc inutiliter legatur, vel alio modo constituitur Titio, *cum morietur*, *usufructus*, quia in tempus confertur, quo desinere incipit. *l. 51. ff. b. t. l. 5. ff. de us. & usufr. leg.*

II. Quemadmodum mors, sic & capitis deminutio usumfructum proprietati reddit. §. ult. Inst. h. t. l. i. l. 3. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. quia morti comparatur. §. 1. Inst. Quib. mod. I.P. P. solv. nam qui legibus pelluntur, cogunturque solum vertere, ac privantur libertate mortuorum loco habentur, dicunturque interire. l. i. §. 8. ff. de Bon. poss. conir. tab. l. 63. §. 10. ff. pro soc. l. 209. ff. de R. f. unde vulgo mors civilis appellari solet. Olim quacunque capitis minutiōe tollebatur jus utendi fruendi. testis est Paulus lib. 3. sent. tit. 6. versic. capiti. l. i. pr. & §. 1. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. l. 29. ff. de us. & ususfr. leg. arg. l. 3. ff. de cap. min. l. 16. §. 2. Cod. b. t. Sed cum durum videbatur legislatori sacratissimo ea status permutatione, quae salva contin-
gebat civitate, usumfructum perire, sancivit eum tantummodo redire ad proprietatem, si ususfructarius vel maximam capitis deminutionem passus fuerit, vel medium. d. l. 16. §. 2. Cod. b. t. §. 3. Inst. eod.

III. Caeterum ita demum mutatione status amittitur ususfructus, si jam constitutus fit, & fructuario acquisitus. Nam si quis, cui libertas, vel ci-
vitas Romana suerat adempta, ante aditam hereditatem, vel diem cedentem in pristinum statum fuerit restitutus, nihil nocet ei capitis minutio, quo minus utendi fruendi juris compos fiat. l. i. §. 1. ff. Quib. mod. ususfr. amitt.

IV. Diximus morte finiri usumfructum, & deminutione capitis, per quam vel libertas eripitur, vel civitas. Sed hoc non est perpetuum. Nam si servo filiove familiarum relatus sit ususfructus, domino vel patre super-
stite, licet servus vel filius familias rebus humanis fuerit exemptus, vel alia quacunque ratione usumfructum amiserit, non interrupitur jus utendi fruendi, utpote per eos domino vel patri quaesitum. l. 6. §. 2. & 3. ff. b. t. Sed in servo quidem persona domini respicitur, ut cum eo & oriatur ususfructus, & occidat: in filio autem, quasi dupli constituto ususfructu, utriusque & filii & patris persona spectatur, adeo ut neque patri noceat casus filii, neque filio casus patris. l. ult. Cod. b. t.

V. Eleganter quaeritur, si testator Titio & heredi legaverit usumfructum, an utile sit legatum, & quando extinguatur, cum heredis appellatio non so-
lum ad proximum referatur heredem, verum etiam ad ulteriorus l. 65. l. 170.
ff. de verbis signif. & sic fieri possit, ne unquam ususfructus ad proprietatem
recurrat, sed semper apud heredes permaneat? Et placet plerisque firmum esse
legatum, l. 5. pr. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. usumque fructum finiri, si
quid humanitus primo heredi contigerit, vel aliis legitimis modis ad eum
ususfructus desierit pertinere: quod quidem & mihi videtur arg. l. 14. Cod.
b. t. siquidem in re, quae sui natura ad heredes non transit, heredis signifi-
catione proximum tantum contineri heredem, nec ad ulteriores extendi,
verius

verius est. Et hoc casu duo sunt quodammodo ususfructus. Nam mortuo fructuario, novus quasi constituitur heredi.

VI. Quae cum ita sint, non immerito quaeſitum est, an collegio, civitati, aliisve universitatibus relietus ususfructus conſtitat, & quoque in eo ſint tuendae. Nam cum in collegio parvi referat, utrum maneat omnes collegae idem, an cuncti fuerint immutati. l. 7. §. 2. ff. *Quod cuj. univerſ. nom.* & ex reſonib. Alteni lib. 6. *Digeftorum* populus idem cum maxime putetur, qui abhinc centum annis fuiffent, etiamſi ex illis nemo nunc viveret, idemque in caeteris rebus eveniat, ut nullis non partibus commutatis eadem res eſſe existimetur; l. 76. ff. de jud. Periculum videbatur eſſe, ne perpetuus fieret ususfructus, quia neque morte, neque facile minutiōne capitis periturus eſt, qua ratione proprietas inutilis foret ſemper recedente ususfructu? Sed *Gajus lib. 17. ad edictum provinciale*, & lib. 3. de legatis ad edictum Praetoris scribit conſtarē legatum, uſumque fructum extingui centum annorum ſpatio, quia iſ finis eſt vitae longaevi hominis. l. 56. ff. b. t. & l. 8. ff. de uſ. & uſuſr. leg. niſi interea temporis aut collegium fuerit diſſolutum, aut civitas inducتو arato eversa, quo caſu mori videtur, uſumque fructum habere defiſit. l. 21. ff. *Quib. mod. Uſuſr. amitt.*

VII. Praeterea non utendo intercidere uſumfructum tam pro parte, quam pro indiviſo certi eſt ac explorati juris. §. 3. *Inst. b. t. l. 25. ff. Quib. mod. uſuſr. amitt.* l. 5. ff. b. t. Si neque per ſe fructarius utatur fruatur, neque ejus nomine alius, puta qui emit, vel cui donatus eſt. l. 38. ff. eod. Plane iis quoque non utentibus illud intereſt: utrum emp̄tor non utatur, an donatarius. Priori caſu retinetur ususfructus, quia qui p̄eſtium accipit, non minus habere videtur, quam qui ipsa re utitur fruatur. d. l. 38. l. 39. ff. eod. tit. posteriori extinguitur, quia neque alius utitur ejus loco, neque ipſe ullam rem habet, per quam uti frui intelligi potest. l. 40. ff. eod.

VIII. Atque ita quidem olim tollebatur rei mobilis ususfructus anno, immobilis biennio, ut diſcimus ex *Pauli lib. 3. ſent. tit. 6. l. 16. pr. Cod. b. t. l. 13. Cod. de Serv.* & aq. Sed Caesar Justinianus humanitatis ratione datus, non paſſus eſt hujusmodi brevi ac compendioso interitu uſumfructum deleri, conſtituitque ut exemplo caeterarum uſuſcapionum, quibus & ipſe longius tempus praescripsit *pr. Inst. de Uſuſcap. l. un. Cod. de uſuſcap. transf.* rerum mobilium ususfructus per triennium, ſoli per decennium inter praefertes, viginti annos inter absentes non utendo pereat. d. l. 16. §. 1. *Cod. b. t. l. 13. cod. de Serv.* & aq. Neque enim existimandum eſt

Augustum legislatorem in d.l. 13. cod. de serv. & aq. rei mobilis perinde, atque soli usufructui decennii vel annorum viginti spatium dedit : quia ibi in primis disputat de servituriis, easque usufructui comparat, quae cum soli rebus tantum sint annexae, non potuit eas cum alio usufructu conferre, quam qui in rebus soli consisteret.

IX. Illud sane quaestio[n]is est, utrum usufructarius male utendo, seu non utendo per modum utendi fruendi jure privetur ? Sunt qui putent non extingui usumfructum male utendo, cum fructarius ad id quod interest, restitutionemque damni ex cautione domino proprietatis teneatur. l. 1. & tot. tit. ff. Usufr. Quem. cav. Alii e diverso opinantur usumfructum nulla interposita mora interire, si fructarius male fuerit usus, praefati re fructaria secus uti, nihil aliud esse, quam eam consumere & perdere. Alii ferunt, non ante fructarium non utendo ad modum jure suo cadere, quam si per legitimum tempus ad amissionem constitutum male fuerit usus, causati idem haberi non uti, vel non debito modo uti. Quae sententia vera est, & confirmatur per l. 1. §. 5. & 6. ff. usufr. Quem. Cav. l. 27. pr. ff. de noxal. act. arg. l. 10. §. 1. ff. Quib. mod. serv. amitt. Quin & Imp. Justinianum idem voluisse dubium non est. Tribonianus certe scribit in §. 3. Inst. b. t. finiri usumfructum non utendo per modum & tempus. Sensus est: Usumfructum amitti non utendo per modum, non tamen statim amitti male utendo, sed amitti non utendo ad modum per tempus jure definitum. Damnum, quod interim passus est proprietatis dominus, repetet a fructuario vel per actionem ex stipulatu de re boni viri arbitrio utenda l. 1. & passim tot. tit. Usufr. Quem. cav. vel ex L. Aquilia. l. 13. §. 2. l. 15. §. 3. ff. b. t.

X. Item confusione & consolidatione, ususfructus finitur, si domino proprietatis cedatur ab usufructuario, vel contra, si usufructarius rei proprietatem adipiscatur. §. 3. Inst. b. t. l. 4. ff. Usufr. Quem. cav. Siquidem cum rei & proprietas, & ususfructus confunduntur, sive in unam & eandem personam concurrunt (unde etiam *confusio* dicitur. d.l. 4. ff. Usufr. Quem. Cav. l. 1. ff. Quem. serv. amitt.) Ususfructus extinguatur necesse est: quia, ut diximus, nemini res sua servit. l. 5. pr. ff. finiusfr. pet. l. 26. ff. de serv. praed. Urb. l. 10. ff. comm. praed. Consolidatio autem haec species conjunctionis ususfructus cum proprietate vocatur. §. 3. Inst. b. t. l. 3. §. ult. l. 6. pr. ff. de usufr. acrese., quia tum sit solidum jus, solida proprietas, & non ut ante, nuda, sed plena. l. 9. §. ult. ff. de aq. & aq. plu. arc. l. 26. in fin. pr. ff. de us. & usufr. leg. l. 35. ff. de bon. libert.

XI. Nec non si fructarius jus suum extraneo, hoc est, ei, qui proprietatem non habebat, in jure ad sellam Practoris cessisset, ususfructus proprietario

prietario acquirebatur. l. 66. ff. de jur. dor. Cessio erat vetus, solenne, ac legitimum alienationis genus, quae fiebat per tres personas in jure cedentes, vindicantes, addicentes. Cedit enim dominus : vindicatis, cui ceditur : addicit Praetor. *Ulp. m. in fragm. tit. II. & 19.* Hac cessione id agebatur, ut omne omnino jus, quod habebat cedens, a se juxta naturam illius translationis discederet, & transiret in vindicantem, si posset, alioquin in eum, in quem jure poterat. Cum igitur sic facta in jure cessione omne jus a cedente fructuaria penitus abiret, nec in extraneum, cui cessus erat ususfructus transferri posset, utpote quod ratio juris non pateretur. d. l. 66. ff. de jur. dor. quia quod inter duos cedentem scil. : & vindicantem actum erat, non poterat nocere proprietatis domino, ad quem, si pertinere ad ususfructuarium desineret ususfructus reversurus erat; inde necessario sequebatur, ut occideret ususfructus, & ad proprietatem recurreret. d. l. 66. Id juris fuit tempore Pandates.

XII. Hodie ex jure novo differentiis inter dominos ex jure Quiritium, & Bonitarios sublatis a Flavio Justiniano in l. un. Cod. de nud. jur. *Quir. toll.* atque per consequens sublato discrimine inter cessionem in jure, & nudam traditionem, fructuarius cedendo extraneo usumfructum, neque in eum transfert, neque ipse utendi fruendi jus amittit, sed remanet in suo loco ususfructus, donec legitimis modis intereat, & conjungatur cum proprietate: idque est, quod dedit sacratissimus Princeps in §. 3. Inst. b. t. Scribens: *Cedendo extraneo nihil agitur*, hoc est, nulli inde vell lucrum, vel damnum accedit. Sic ista phrasis nihil agi, aut fieri in jure saepe idem valet, quod *nullius esse momenti*. arg. l. 25. §. 3. 4. & 5. ff. b. t. l. 2. ff. de pignor. act. pr. Inst. *Qui & ex quib. caus. man.*

XIII. Eo amplius rei fructuariae interitu, & suo quasi fato intercidere usumfructum, in dubium vocari non potest. Est enim jus in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse est. pr. Inst. b. t. l. 2. ff. eod. quia nihil amplius superest, quo uti frui potest ususfructarius, cum & ipsum dominium proprietasque eo casu amittatur. l. 23. ff. *Quib. mod. ususfr. amitt.*

XIV. Sed & rei mutatione, quando ita vel ampliata est, vel minuta, ut in aliam speciem & nomen transierit; deletur ususfructus. l. 5. §. 2. & 3. l. 10. l. 12. ff. *Quib. mod. Ususfr. amitt.* pristina enim forma & facie plane immutata desit id esse, quod ante fuit, perindeque habetur, ac si in totum res esset sublata; & ex nomine tanquam ex posteriori formam rei & substantiam intellegimus.

XV. Hinc aedium ususfructu legato, si incendio fuerint consumptae, vel vitio suo corruerint, extinguitur ususfructus, neque areae debetur, neque

cementorum : non enim areae ususfructus, cementorumve, sed aedium erat constitutus. §. 3. inst. b. t. l. 5. § 2 ff. Quib. mod. ususfr. amitt. Contra areae Usufructu relieto, si testator in ea aedificium posuerit, interit ususfructus, quia area amplius non est, nec nominatur. l. 5. §. 3. ff eod.

XVI. Si ager, cuius ususfructus alicui erat relictus, flumine vel mari inundatus fuerit, ut stagnum jam sit, aut palus, tollitur ususfructus. l. 10. §. 3. l. 23. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. E contrario si stagni ususfructus fuerit legatus, & exaruerit sic, ut ager sit factus, finitur ususfructus, quia & res mutata est, & aliud nomen invenit. l. 10. §. 4. ff. eod.

XVII. Proinde & si histrionis usumfructum testator reliquerit, & eum transtulerit ad aliud ministerium extinctum esse usumfructum Ulpianus lib. 17. ad Sabinum refert. quae sententia non est sine ratione. Quia histrio & esse desiit, & appellari. l. 12. §. 1. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. Eadem ratione pecoris usufructu legato, coque demortuo & caro, & corium proprietario cedit. l. 30. ff. eod. Similiter gregis relicto usufructu, si usque eo numerus ovium decreverit, ut grex non intelligatur, una cum nomine gregis usufructus perit. l. ult. ff eod. tis.

XVIII. Idem juris est, si cui quadrigae usufructus fuerit relictus, licet vel unus ex equis decesserit. l. 10. §. 8. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. sed plurimum interest, utrum quatuor equorum, an quadrigae legetur usufructus. Hoc casu uno defuncto supererit usufructus in residuis: illo non remanabit, quia quadriga amplius dici nequit, nisi aliis ante diem legati cedentem fuerit substitutus. d l. 10. §. 8. l. 11. ff. eod.

XIX. Aliud tamen dicendum erit, si res priorem speciem non prouersus amittat, & vetus nomen retineat, etiamsi valde fuerit commutata. Sic fundi usufructu legato, si villa sit diruta, placet usumfructum non extingui, quia nihilominus nomen fundi manet, cuius villa tantum accessione est, quae causam principalem sequi, non mutare solet; ideoque & solo, in quo posita fuit villa, utetur fructur fructuarius. l. 8. 9. & 10. pr. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. Insulae quoque usufructu constituto, quamdiu quaelibet pars ejus homogenea supcrest, ut nomen, ita & totius soli usufructus retinetur. l. 53. ff. b. t.

XX. Haec de vero & naturali usufructu dicta esse intelligantur. Nam in stipulatione de reddendo Usufructu earum rerum, quae ipso consumuntur uero, duo soli casus interponuntur, mortis & maximaie mediaeque capitis diminutionis: quia harum usus aliter, quam his casibus, amitti non potest. §. 2. Inst. b. t. l. 6. l. 7. l. 9. l. 10. pr. ff. de ususfr. ear. rer. l. 7. §. 1. ff ususfr. Quem. cav. siquidem cum & proprietas rerum in quasi usufructu transferatur

ratur in legatarium, & ipse pro arbitratu suo iis possit uti, promittatque se non easdem, quas accepit, sed incertas, sed alias ejusdem generis, aut aestimationem earum, restitutum. l. 7. ff. de ususfr. ear. rer. quis tam rudis, tam imperitus, tam legum Romanarum hospes, cui lateat neque non utendo, neque interitu, neque rerum mutatione factum usumfructum extingui? Hoc amplius quasi ususfructus personam potius, quam rem intueri videtur, homines autem aut morte, aut permutatione status interire, vel iis, qui parum versati sunt in jure, cognitum satis est, atque exploratum per l. 63. §. 10. ff. pro soc.

XXI. Denique si sub conditione Titio relictus sit ususfructus, & heres penes quem medio tempore esse debet eum alteri legaverit, impleta conditione Legati, Titii ususfructus ab herede relictus expirat. l. 16. ff. Quid mod. Ususfr. amitt. Sic legato ususfructu ad certam diem, vel conditionem, si aut dies venerit, aut extiterit conditio, tollitur jus utendi fruendi. l. 5. l. 12. Cod. h. t.

XXII. Quid si Maevio constitutus sit Ususfructus, donec Sempronius decesserit? tamdiu utetur fructus Maevius rebus in usumfructum deductis, quoad vixerit sempronius, nisi ipse forsitan sempronii mortem hujus lucis usuram amiserit: tum enim obitu Maevii extingui Usumfructum, nec ad posteros transmitti, certo certius est. d. l. 12. Cod. h. t. l. 3. pr. Cod. cod.

XXIII. Quum finitus sit ususfructus, ad proprietatem, unde discesserat, velut post longam peregrinationem ad patrias sedes revertitur, atque ex eo tempore nudae proprietatis dominio plenum in rebus, plenum acquiritur dominium. §. ult. Inst. h. t. nisi idem ususfructus duobus pluribusve coniunctim fuerit relictus, quo casu non statim cum proprietate conjungitur, verum pars deficientis fructuarii caeteris accrescit jure coniunctionis etiam post Usumfructum quæsitum, usque dum omnes eum amiserint. l. 1. pr. l. 3. & tot. tit. ff. de Ususfr. accresc. Sed dissertationem de jure accrescendi, prorsus rem magni & animi & operis (est enim ampla satis, perplexa, ac per totum fere jus diffusa, quam persequi longa magis est, quam benigna materies, peculiaremque tractatum desiderat) opportuniiori loco atque temporis reservabimus, cum & majus otium erit, & indies longius, discendo, exercendoque nos processerimus.

C O R O L L A R I A.

superstitione, ita illico di cui excludere omnes 3, minimeq; si resus-
cipit sua, et non multo tempore. I. resipit, resipit, resipit, resipit, resipit
alibi cum suis resipit, resipit, resipit, resipit, resipit, resipit, resipit, resipit, resipit

Summus magistratus legibus est adstrictus, sive de natu-
ralibus quaeramus, sive de civilibus. 1. Digna vox. 4.
Cod. dell.

I I.

*Venditor cogitur praecise rem venditam tradere, nec absolu-
tur solvendo id, quod interest, si potestatem habeat tra-
dendi. Quoniam*

I I I.

*Periculum & commodum rei venditae a contracta & perfecta
emptione & venditione emptorem sequitur. fac. l. 10. ff. de R. J.*

I V.

*Conductor regulariter levem duntaxat culpam, non etiam le-
vissimam praestat.*

V.

*Filio impuberi exheredato, quem in potestate parens habet,
recte testamento tutorem dare potest.*

V I.

*Hodie ex Constitutione M. Antoni Philosophi omnes adolescentes
curatores accipiunt, non redditis causis.*

V I I.

*Patruo vel avunculo (liberis, parentibus, fratribus, & sororibus
destituto) succedunt fratrum, ac sororum liberi in stirpes ju-
re representationis. Nov. 118. cap. 3.*

V I I I.

*Poena adulterii ex l. Julia non fuit capitalis, sed relegatio-
aut deportatio.*

F I N I S.



ORNATISSIMO CONSULTISSIMOQUE
VIRO JUVENI

D. JOANNI GREVEN,

*Cum celeberrimo J^Ctorum ordini ad-
scriberetur.*



Ymphæ, Pierides Nymphæ, devotaque Pindo
Numina, Castalides tecta subite Dex.

Inspirare meos jucundo murmure cantus,
Dum cultus referam, quos mihi dicit amor.

Turgida non altis panget suffulta cothurnis;
Sed tenues solvet rustica musa modos.

Hoc quoque poscit amor, prisci candoris & ignes
Non jactatus honos, vanaque verba juvant.

Phæbi delicium GRÆVI, sanctæque voluptas,
Palladis, Aonii gloria prima jugi.

Quem pietas, quem grata fides, & candida virtus
Perpetua junxit religione mihi.

Noster amor GRÆVI communia sacra fuerunt
Tecum musarum, sim quoque vester amor.

Aonidum tecum toties spatiatus in hortis.
Miscuimus blandis seria quæque jocis.

Carus Apollineo monti, carusque Camœnus,
Carior ante alios tu mihi solus eris.

Obveniunt nostris quanta argumenta Camœnus,
Quæ nomen possent ferre sub astra tuum.

Ingenii.

Ingenii vires, docta facundia lingua
Materies possent carminis esse mei.
Dum tua Romanas spirant præcordia leges,
Publica terrigenis reddita jura doces.
Sed mea plectra tuis non respondentia factis
Rauca silent nec te judice digna canunt:
Destituitque suum Themis indignata poëtam
Somnia Phæbeus mons mihi docta negat.
Pulchrius his aliquid Batavus meditetur Homerus
Gloria cum vatum pulchrius ibit ovans.
Arripiantque Chelyn neglecto culmine Pindi
Pierides, Phæbus pollice pulset ebur.
Laurigeri ducant Heroica carmina vates,
Carmine non poteris nempe minore coli.
Paucis summa canam, finemque imponere Musis,
Et me parva jubet solvere vota Themis.
Tu vivas felix patriæque, Deoque, tuisque,
Sidere felici prospera cuncta fluant.
Quo te fata trahant, nec sis oblitus amorum
Nostrorum, si quid carmina nostra valent.

A. D. PLOOS VAN AMSTEL.

